

H 1856 37

Ad
actum sollempnem,
quo
Viro Clarissimo
M. CHRISTIANO DAVIDI
IANI,

Gymnasii Hallensis antehac Conrectori et Directori,
nunc Ill. Gymnasii Isleb.

Rectori designato,
publicas in hoc Gymnasio lectiones

speciminis loco habendi
pridie Calend. Augusti 1515CCLXXX.

tradetur facultas,
de scholis bene constitutis, egregiis providentiae divinae
testibus,

praefatus,
quam officiosissime invitat

Ioannes Andreas Müller,
Ill. Gymn. Isleb. Ephorus.



ISLEBIAE,
Literis Io. Phil. Hüllmanni.

OTTO HENRICH
EHLERT O. H. D. 1770.
S. 13.
Von der Königl. Akademie
der Wissenschaften zu Berlin
veröffentlicht durch den Herausgeber
der Acta Physico-Mathematica et Astronomica
Prof. Dr. OTTO HENRICH EHLERT.
Berlin 1770.
Acta Physico-Mathematica et Astronomica
ab anno 1770 usque ad annum 1771
in quatuor tomis continet.
Tomus I. ab anno 1770 usque ad annum 1771
in duabus Partibus, scilicet
Parte I. ab anno 1770 usque ad annum 1771
Parte II. ab anno 1771 usque ad annum 1772.

Nihil est certius, nihil plures eosque majores
habet testes, quam providentia divina. Cae-
lum enim et terra, et praelertim homines ipsi te-
stantur eam tam clara voce, ut mirum profecto
sit, si quis de ea dubitet. Tollamus in caelum
oculos; nam Deus

Os homini sublime dedit, caelumque tueri

Iussit:

quot corpora caelestia, quot quae sidera
animadvertisimus, quae, dum iam permultis abhinc
seculis immutabili moventur ordine, sapientissimum
arguunt moderatorem. Dejiciamus oculos in ter-
ram! Consideremus eam paullo, quam assolet, ac-
curatius; quam multa, quamque luculenta depre-
hendimus providentiae divinae vestigia? Quicquid
in terra sit, id eo, quo debet, tempore accidit.
Vicissitudines dierum et noctium, aestatis atque
hyemis, suo eveniunt tempore. Et quod ad plan-
tas attinet, eae non minus statu tempore nascun-
tur. Quae omnia cum videamus, à Deo provido
ita gubernari fateamur necesse est. Nam neque
sponte seu casu fiunt, quia tempus et ordinem
servant, neque ad solam creationem referri pos-
sunt, ut non simul providentiam divinam subin-
nuant rerum creatarum moderatricem. Intueamur
nosmet ipsos; contemplemur vitam, quam degi-
mus, et ea, quae nobis in hacce vita contingunt;
quis est, quin singularem Dei providentiam circa

❧

se ipsum expertus sit? Quis sese modo ex hoc, modo ex illo, in quod venisset, periculo, vi quadam sublimiori ereptum esse potest negare? Et quem non juvat, beneficiorum à Deo acceptorum grato meminisse animo? Si autem singuli homines providum illum Deum testificantur, quid de pluribus, quid de integris populis dicam? Evidem eos omnes de providentia Dei testari, facili demonstrare possem negotio; sed cum mihi, publicas lectiones à novo Rectore habendas indicturo, tempori inserviendum sit, scholas bene constitutas illustres providentiae divinae testes ob oculos ponam, paucula de iis praefaturus.

Non quidem iam termo est de aedificiis, in quibus schola habetur, quamquam et haec à Deo curari recte existimamus; sed de ipsis literarum ludis agitur, in quibus puerorum iuvenumque animi ad pietatem, ad cruditionem morumque civilitatem eo modo instituuntur, ut ista institutio successu optatoque effectu carere nequeat, dummodo discentes eam decenter admittant. Ejusmodi scho-
lae non solum bene constitutae sunt, sed etiam Deum testantur, qui res omnes, minimas pariter atque maximas, curat, conservat et gubernat. Sive enim originem, sive conservationem, sive florem illarum consideremus, ubique sapientissimam summi numinis providentiam conspicimus.

Antiquissimis quidem temporibus parentes ipsos suos instituisse liberos, tum ex sacris, tum
ex

—

ex profanis literis constat. Cum autem iis modo
facultas, modo animus, modo tempus instituenda ju-
ventutis deesset, sine dubio inde factum est, ut scho-
lae instituerentur, eaeque bene constituerentur. Et
quid profecto melius, quid utilius hoc instituto po-
tuit excogitari? Tolle scholas ex civitate, quis Dei
cultus, quae recti bonique scientia, quod morum
decorum erit? Turpissima ubique dominabitur bar-
baries, densissimaeque non ignorantiae tantum,
sed improbitatis quoque malignae omnia invol-
vent tenebrae. Intueamur gentes scholarum ex-
pertes, nonne immanitate barbarae, moribus agre-
stes, atque impietate horribiles erant? Barbari e-
rant Graeci, priusquam musea haberent, barbari
pariter Romani, antequam doctores sapientiae scho-
las aperirent, barbari quoque erant maiores nostri,
priusquam in scholis instituerentur. Quantum igi-
tur scholarum beneficium est, quod homines ab
inculta barbarie abstractant, abstractosque rebus di-
vinis humanisque instruant? Sed cui quaeso, nisi
Deo, illud acceptum referimus? Quis effecit, ut
homines consilium caperent, instituendi scholas,
et ut eas bene constituerent, nisi Deus? Quis istis
scholarum conditoribus necessariam largitus est sa-
pientiam, nisi idem ille unicus sapientiae fons?
Saltem dubitari nequit, quin impulerit prophetas,
ut apud priscos Ebraeos constituerent scholas, in
quibus juventus diligenter educaretur. Per Molten
iussit Levitis quadraginta et octo urbes assignari,

ut Israélitarum scholae essent. Samuelem prophetam instigavit, ut in Galgala, Ramatha et Naioth scholam constitueret. Neque aliter de Elia, de Elisaeo, eorumque successoribus judicandum est, qui, quod neminem fugit, juventutem Israeliticam divino instinctu docuerunt. Vnde apparet, originem scholarum testari divinam providentiam.

Quarum si conservationem consideremus, eamdem conspicimus. Duraverunt nimirum scholae usque ad hoc tempus, neque in posterum, quod speramus, existere desinent, quamvis multos habuerint semper, et adhuc habeant hostes. Ut enim silentio praeteream, infensissimum illum humani generis hostem omni contentione, omnique opum vi scholas opprimere studuisse, multi quoque fuerunt homines, qui eas deletum irent. Eminet inter eos Carolostadius, quem Iac. Boehmius, Valentinus Weigelius, Christianus Hoburgius aliquique secuti sunt, qui scholis interitum defenderent. Neque tamen efficere potuerunt, ut scholae aut occluderentur aut prorsus abrogarentur. Semper fuerunt cordatores, qui scholas contra quasvis secus sentientium machinas strenue defendenter, easque amori et curae summorum principum, caeterorumque magistratum gravissime commendarent. Quo factum est, ut deinceps non minus, quam autea, scholis praeficerentur magistri, qui juventutem artibus atque scientiis informarent. Neque desuerunt umquam viri, qui obirent haec-

cc

= = = = =

ce magistrorum munia, quamvis multum laboris
et plerumque parum praemii habeant. Quid?
quod semper fuerunt pueri, qui appeterent do-
ctrinam disciplinamque scholasticam. Quae omnia
profecto non tam ab humana, quam à divina cura
pendere, statuendum est. Deus enim est, qui,
quod homines propriis viribus non potuerunt, re-
pressit conatus, quibus Acheronticus hostis scho-
larum perniciem quaeſivit. Deus non permisit,
ut scholae ob quasdam maculas et corruptelas tol-
lerentur, quamvis id multi fualerint. Deus exci-
tavit viros, qui scholarum cauſam agerent, illa-
que nihil prius, nihil antiquius ſibi haberent.
Deus flexit animos magistratum, ut non ſolum
conderent ſcholas, ſed conditas etiam omni, qua
poſſent, ratione conſervarent. Deus tandem cu-
ravit, ut ſcholis neque magiftri neque diſcipuli
deeffent. Quae cum ita ſint, quis ex ſcholarum
conſervatione non conſpicit providentiam divinam?

Supererit, ut eamdem ex ſcholarum flore con-
ſpici poſſe oſtendam. Quod vero priusquam de-
mōnſtrare coner, exponendum eſt breviter, in
quo ſcholarum florem ponendum eſſe ceneam.
Sunt, qui eum ex magno eruditioñis appara-
tu de-
rivent, quo ſcholarum magiftri uituntur. Scholas
enim eo feliciores reputare ſolent, quo maior fo-
lidiorque ille eſt. Qui quamvis haudquaquam con-
temnendus, ſed potius laudandus ſit, plerumque
tamen ſit, ut ii, qui eum ſibi compararint, non
tam

◆ ◆ ◆ ◆

tam' juventuti recte informandae, quam suae famæ
studeant. Quare alii in dijudicando scholarum flo-
re ad discipulos respiciunt, eumque ex magno il-
lorum numero metiuntur. Sed et hi in judicio
suo à vero aberrare videntur, siquidem maior di-
scendentium numerus, qui male respondet, scholarum
florem magis impedit, quam auget. Ego vero
eum ex fine scholarum metiendum esse credo. Qui
cum in pietate, eruditione et morum honestate con-
sistat, sequitur, ut illae scholæ gloria florent, in
quibus puerorum juvenumque animi istis virtutibus
feliciter instruantur. Quod ut fiat, non solum erudi-
ti, pii fidique doctores scholastici, sed etiam doci-
les, diligentes, virtutisque amantes discipuli requi-
runtur. At quis illis doctoribus facultatem impertit,
alios dilucide fideliterque perdocendi? Quis eos
promtos paratosque reddit, ad vires suas discendentibus
consecandas? Quis hisee discipulis tribuit ingenia
bona? Quis eos affiduitate necessaria exornat, virtutis
probandorumque morum amore inflammat, egre-
giisque profectibus prosperat? Quis alius, nisi Deus,
à quo omnia bona descendunt?

Quae cum tam clara sint, ut ab unoquoque,
si oculos aperiat, possint conspici, nihil amplius ad-
dam, quam ut ea, quae jam commemoravi, Gymna-
sio nostro Islebiensi commodem, in cuius constituti-
one pariter ac conservatione et flore luculenta de-
prehendi possunt providentiae divinae vestigia. Co-
aluit ex duabus scholis, quae quondam prope tem-
plum

= = = = =

plum Andreanum erant, anno MDXLVI., Condito-
ribus illustrissimis Comitibus Mansfeldiae, Dom.
Gebhardo, Albrecht, Philippo et Ioh. Georgio,
fusore b. D. Mart. Luthero, Moderatore D. O. M.,
à quo omnia demum repetenda sunt, quae per Illos
bono Gymnafii facta sunt, quippe qui mentes regum
atque principum, ut vult, flectit. Quem ad modum
autem non sine voluntate divina fundatum est, ita et
usque ad hoc tempus summi Numinis providentia
perstat, quamvis multa misera, funesta et perniciosa
fata subierit. Non enim solum quondam peste affe-
ctum, incendio deletum, et bello vexatum, sed et
hoc demum anno conservatore, quem hactenus co-
luit, munificentissimo orbatum est. Ex omnibus
autem hisce malis emersit, et nova floruit felicitate.
Huc referto gratiam, qua Dominus FRIDERICVS
AVGVSTVS, serenissimus Elector Saxoniae, hoc-
ce Gymnasium non minus, quam superiores illius
Conservatores, dignatur. Huc referto sanctimoniam
vitae pariter ac eruditionis splendorem, quo juvenes
nullo non tempore ex eo prodierunt. Huc referto
denique pietatem et doctrinam insignem, uti omni-
um praceptorum, ita praecipue Rectorum et Con-
Rectorum, qui de Gymnasio nostro optime fuerunt
meriti. Qui quamvis vitae scholaeque valedixerint,
alii tamen in eorum locum successerunt, ita ut etiam
nunc non desint. Sic jussu Domini Friderici Au-
gusti, optimi Patris patriae, iam à Domino Iosepho,

B

cle-

—

clementissimo Principe atque Comite Männsfeldiae, vita defuncto, designatus Dom. M. Christianus David Iani, qui hactenus Gymnasi Hallens, Conrectoris munere per XIII. annos gavisus est, locum Dom. M. Gotthilf Ioh. Ludov. Dienemann, pridie Id. Novembr. superioris anni morte nobis eretti capiet. Sistetur ad lectiones in Gymnasio nostro, speciminis publici loco, habendas, hora VIII. antemeridiana, pridie Calend. Augusti, et, oratione de scholarum mendis earumque correctione recitata, explicabit

- 1., ex Theol. Seileri Theol. dogm. pol. P. I. cap. II. sect. II. thes. 22. 23. 24. 25. de divina omnium rerum gubernatione.
- 2., ex Hebr. Deuter. XXXIII. 8--11. ubi sermo Mosis legitur, quo Levitis Israëlitarum doctribus à Deo constitutis fausta precatur.
- 3., ex Graec. Homer. Iliad. XX. 56--66., quibus certamen Deorum describitur.
- 4., ex Latin. a., Cicer. de divin. libr. II. quatuor priores §§., ubi utilitatis mentio fit, quam juventutis doctores reipublicae afferunt.
b., Virg. Maron. Georg. Libr. II. v. 475--502. Vbi duo optat Virgiliius, aut esse doctum, qui cognosceret rerum causas, aut rusticum et agricolam.

Cui actui ut interfint, et novum Oratorem Interpretemque audiant, omnes literarum Fautores, una cum Gymnasi Collegis atque Alumnis, per hasce literas invito. P. P. Islebiae V. Calend. Augusti

CICIOCCCLXXX,

1078

H 1856 37

Ad
actum sollemnem,
quo
Viro Clarissimo
M. CHRISTIANO DAVIDI
IANI,

Gymnasii Hallensis antehac Conrectori et Directori,
nunc Ill. Gymnasii Isleb.

ri designato,
Gymnasio lectiones
s loco habendi
Augusti 1515CCLXXX.
tur facultas,
s, egregiis providentiae divinae
estibus,
aefatus,
ciosissime invitat
ndreas Müller,
. Isleb. Ephorus.

SLEBIAE,
Phil. Hüllmanni.



x-rite

colorchecker CLASSIC

